



& profundius eā absumere non debent: drachmæ igitur duntaxat duæ cū dimidia Cantharidū præscribuntur Drachma 5. Costi, qui Cantharidum creditur noxiæ facultatis Alexiteriam, & Scrup. i. Synapi, cum fermento, & aceto Scyllatico. Ceratum mox Sacrum imponendum, & materiam noxiam attrahet, & apertum Phlegmum seruabit: sed de his hætenus quamquàm *πάρρητα* sint ad praxim medicam ritè obeundam non omninò contemnenda.



**MONOCEROTIS** Cornu veri, & legitimi frustum in Musæo asseruatū vidimus, quod superfuit ab eo, quod Clarissimus Mattheolus Praga anno M D LXV. ad CALCEOLARIUM Seniore[m] transmisit Iussu Maximiliani Imperatoris Austriaci, vt Antidotum aduersus Venena efficacissimum componeretur,

quod re ipsa etiam tale, non sine summa CALCEOLARII laude fuit obseruatum, quod ergo superfuit frustum Principū liberalitate Musæo concessum.



**RHINOCEROTIS** etiam Cornu ferè integrum eidem SENIORI CALCEOLARIO à Serenissimo VINCENTIO Mantuæ Duce, cum multis alijs pretiosis, & summæ raritatis Exoticis rebus donatum, cum Calceolarium ipsum Rupula, vbi ferè degebat Mantuam præstantissimus Dux sæpenumero accersitum

honorificè vehendum curabat, vt de varijs, & maximi ponderis Medicis rebus secum colloqueretur, domumq; Torque aureo insignis pretij cohonestatū aliquando remisit, semper enim peritiam exactam, iudicium, & omnigenæ materiæ medicæ notitiam illius Viri, Serenissimus Princeps plurimi fecit, quinimò eò beneuolentiæ, & amoris prouectus est eximius ille Dux, & magnanimus Dynasta, vt prandium sibi condixerit in ædibus ipsius Calceolarij iam senio con-

fecti, & oculis capti, Ripulam sua praesentia, & nobilissimorum aulicorum splendore cohonestavit Maderno decessurus apud Benacum Veronensem, eius delitiosissimo, & amenissimo secessu, id ex litteris manu tanti Herois scriptis xij. Octob. M D X C I V. ad Calceolarium satis compertum habemus. Caeterum de Monocerotis, & Rhinocerotis Cornibus ita sentiendum est longè inter se differre, sicuti quatuor ille discrepant animalia Monoceros, Rhinoceros, Asinus Indicus, & Oryx; quamuis de his duobus tantum postremis Aristoteles meminit 2. de hist. anim. & 3. de par. anim. Vnicum in fronte Cornu haec animalia gestitant, quamuis Rhinoceros praeter pusillum id, quod fronti eius inest, si Pausaniae credimus, altero in nare robustissimo praeditum esse docet Scaliger, quo audacissime pugnat, ac vincit Elephantum, quam rem Martialis libro primo expressit.

*Namq; gravem gemino Cornu sic extulit Vrsus,  
Iactat ut impositas Taurus ad astra Pilas.*

Hinc Cardanum illum in scribendo praecipitem iure damnat Scaliger, qui Monocerota sub Rhinocerotis nomine pinxerat, duas enim Belluas esse longè diversissimas, Picturam Rhinocerotis se vidisse ait, cuius cadauer è naufragio eiectum erat in Tyrrhenum littus, capite suillo tergore munitum scutulato: Monocerotis verò figuram ex Vartomano describit Scaliger, Equi magnitudine, cruribus, pedibus, capite Cerui: Pili colore balio: Equi Iuba rariore, & brevioris Coxis villosis: Cornu vnum integrum Niceae à se visum subfuluum vnum, vnum subluteum accedens maxime ad buxeum, vnum subpuniceum etiam se habere frustum candidum, negare Vartomanum esse ferocem, contra quam vulgò acceptum erat. Porro Monocerotem, vel Aristoteli ignotum fuisse, vel cum Asino Indico, aut Oryge confudisse, meritò coniectant eruditi Viri. Verumenimverò & praeter Plinium Aelianus lib. 2. Monocerota describit: discrepantem valdè à Rhinocerote, ut & Vartomanus descripsit:  
& in-

& inter supercilia Cornu vno præditum, eodemque nigro, non læui, sed versuras quasdam naturales habente, atq; in acutissimum mucronem desinente: Ex his colligunt, Pictores grauiter hallucinatos, qui Monocerotem albo colore depingunt, cum talis color Asinis Indicis, excepto capite, conueniat, quod purpureum ex Æliani testimonio obtinent, cornuque in fronte gerunt, cuius superius puniceum, inferius autem album, medium verò nigrum est; Cum porrò Ælianus Monocerotis hoc est Vnicornis figuram, & proprietates exponens nullam eius Cornu Venenorum expulcerum vim attribuerit, quamuis alia multa minùs memoria digna litteris consignauerit, statim auidè arripiunt Viri doctissimi ansam communem sententiam refellendi, quod illud Cornu talem vim obtineat, cum ea potius Asini Indici Cornibus ex Æliano conueniat; Sed profectò verissimū illud est,

*Multa ferunt animi venientes commoda secum,*

Tempus enim, & remedia noua, & eorum vires patefacit; id sanè Viri Principes, & magni Imperatores plurimis observationibus compertū habere potuerunt, ex quibus propositiones generales ad confirmandas remediorum proprietates constituuntur: quinimò maxima fide digni retulerunt Vnicornis illud Cornu priusquam ad Calceolarium Seniore mitteretur Summi Cæsaris iussu antè omnia exploratum in veneno affectis animalibus, & hominibus etiam supremo capitis supplicio damnatis: à Calceolario etiam ipso accuratissimo virium medicamentorum exploratore, & indagatore prius periculum factum, quam se ad Antidotū conficiendum accingeret, & non sine Medicorum eius tempestatis admiratione concitata expectationi mirificū euentum respondisse: Idem Iunior Calceolarius se accepisse ab amicis Senioribus, & alijs affinibus domesticis fatetur, & constanti fama Veronæ eo tempore, & in toto illo Germaniæ tractu promulgatum adhuc meminerunt complures propectæ ætatis Viri.